



15

1686, 31
20

I. PHILIPPI
SLEVOGTII
DE
GENIO STUDIORVM
NOSTRI TEMPORIS

Dissertatio

Ad illustrem atque excellentissimum Virum

IO. IACOBVM AVIANVM

incliti nominis iureconsultum


LOCO PROPEMPTICI MISSA.

532



IENAE MDC LXXXVI.

LITTERIS NISIANIS.



I PHILIPPI
SLEVOGTII
DE
GENIO STUDIORVM
NOSTRI TEMPORIS

Dissertatio

Ad illustrem acque excellentissimum Virum

IO. IACOBVM AVIANVM


inlici nominis iurconsultum

LOCO PROPRIETICI MISSA



LENAE MDC LXXXVI

LITTERIS MISSI ANIS



Illustri excellentissimoque

V I R O

IO. IACOBO AVIANO

Iureconsulto, comiti Palatino Caesareo, supremi tribu-
nalis Spirensis senatori Imperiali, consiliario Saxonico in-
timo, & cancellario Saxo-Coburgensi
eminentissimo

Patrono maxime colendo

Io. Philippus Sleuogtius F.



*X*cedis aula, eque profun-
do pelagi, perpetuis procellis ac tempe-
statibus turbidi, in senectutis tuae portum
deflectis, mutata diuinis auspiciis statio-
ne, in qua tot praecleara virtutis documen-
ta edidisti, quibusque non minora post-
hac in augusto illo, quod Spira Nemetum

est, summorum hominum concilio, es editurus. Equidem cogi-
tantem fata tua, quamque mirifico illorum ductu in patria pri-
mum praesueris populo, procaci ac tumultuose multitudini; mox
Athenaei nostri letissimum incrementum, praere studiosae publi
ad adyta iuris prudentiae caeperis; hincque ex umbra in mediam
lucem & arenam reuocatus, Gothanae aulae per multos annos
consilium fueris atque oraculum, donec persundus in ecclesia-

) (o) 2

stico



stico senatu praesidis munere, & accepturus summum merito-
rum premium, in Coburgensi aula ad cancellariatus fastigium
euehereris: non potest non tacita subire veneratio providen-
tia, per varios casus, perque secunda & aduersa rerum ostenden-
tis, quantis te exornauerit virtutibus, quantumque publica ac
litteraria rei praesidium sis & decus. Nunc demum superatis au-
lica vitae incommodis ac tædiis, post grauissimos labores & con-
tentiones pro publica salute, victor liuoris & odii omnis, ex Mar-
tio quasi puluere letus recedis, fruiturus deinceps gloria meri-
torum, ac liberaliore otio cum summa dignitate, & consulenti-
bus ac velut mouentibus tripodes Germanici imperii proceribus,
in Areo illo Spirensium iudicio responsa redditurus.

Mea pietatis est, votis ac bonis omnibus prosequi abe-
untem, & quum alia re nequeam, litterario saltem, quamuis rudi
atque impolito munere testari, quantum te venerer & colam;
tot imprimis beneuolentia atque amoris pignoribus obstrictus,
quæ ingens semper studiorum solatium, incitamentum ac decus
mibi fuerunt. Neque posthac desinam grande operæ pretium
existimare, tibi illustris AVIANE, placuisse: nec te fortas-
sis iudicii tui ac patrocinii adhuc pœnitet; certe ne pœniteat
vnquam, serio allaborabo. Seruet te numen perpetuo incolumem,
ac tui similes semper communi patriæ donet. Nec enim teme-
re proiicientur studia & communis salus, quamdiu tu, quam-
diu similes tui fata academiæ ac rerum publicarum mode-
rabuntur. Tu vero patere, vir illustris atque excellentissime,
oculos tuos eruditissimos ad umbratiles istas meditationes auer-
ti; in quibus si quid non indignum occurreret tanti nominis,
cui dedico iam consecroque fulgore, facilem mihi audaciæ ve-
niam pollicebor. Vale.



DE
GENIO STUDIORVM
NOSTRI TEMPORIS

Dissertatio,

In philosophica panegyri publice pronunciata

IENAE NON. NOV. A. M DC LXXXV.

Vluunt etiamnum, atque ad decus & laudem contendunt erecta ingenia, nec desperandum penitus de honestis studiis, sed si non optime, bene tamen ominandum, ac nostræ cum primis academix, officinæ virtutum ac sapientiæ, gratulandum est, quæ in omni doctrinæ genere ostentare potest, præmiisque exornare egregias animas, de publica re, tum sacra tum civili, præclare vel merentes vel merituras. In quo sicut immortale numinis beneficium manifesto agnoscimus, non salutem modo, sed florem quoque Athenæi huius potentissime conseruantis: ita pium iustumque est, solenni hoc tempore, & sub auspicio institutæ panegyris, gratias diuinæ
A boni

bonitati agere, ac præsentis perpetuitatem felicitatis religiose exorare. Inprimis, ut semper largiatur nobis providentia viros, qui genuina eruditionis ac sapientiæ laude eminentes, recto ad publicum bonum tramite litterariam pubem ducant, quique non minus exemplo, quam voce ac monitis partibus suis defungantur. Ut honesti moris amans iuventus, ac solis doctrinæ certaminibus inclarescens, indiuulso nexu coniungat studia litterarum & scientiarum, nec quemquam credat sine alterutrius ex hisce auxilio, perfectam ad laudem peruenturum.

Hæc etenim studia, recte & concentu suavi exculta, omni ævo scholis atque academiis, in quibus florere, famam circumdederunt: contra ea, ubi aut diuulsa per socordiam fuere, aut frigidius vel male tractata, annotatum est prudentibus, nunquam potuisse aut gloriam magnam & constantem colligi, aut maiorum virtute collectam, diu hac via conseruari. Hinc & præclarus ille Icholarum per Germaniam instaurator, Ioannes Sturm, quum de Argentorato suo ad amicum scriberet, duas ait res esse, propter quas schola & academia Argentoratensis multos iam annos celebrentur: *disciplina scilicet gravitatem & eloquentiæ studium; quorum, inquit, utrumque nisi retineamus, actum est.*

*Sturm.
in Epist
acad. ad
Io. Rein-
bard.*

Disciplinæ gravitatem dum nominat, ipsas scientias & totam docendi rationem designare mihi videtur, quæ longo interuallo exsuperabat priorum temporum ruditatem: utpote quibus nec res seriæ, ac viris sapientibus aut ad sapientiam ituris, dignæ tradebantur, neque ipse traden-

tradendi modus regulis artis ac prudentiæ respondebat. Præterquam enim, quod profunda bonarum litterarum ignorantia, & neglectus eloquentiæ cunctos occupasset: pro sanis ac salutaribus doctrinis nugæ atque ineptiæ scholas inuaserant; quin de ipso suggestu sacro non cœlestium vatum & apostolorum scripta, sed aniles fabulæ, aut Aristotelicæ etiam disputationes populo recitabantur: vt in vniuersum inquinata esset tam mens quam lingua, impuritasq; pro ornatu vbiuis coleretur, & barbariem ethici ac iureconsulti, vt Sturmianis verbis vtar, pro prudentia, physici pro veritate, medici pro vsu, theologi pro pietate haberent. Quin perniciofa hæc labes, conquerente prudentissimo hoc viro, ne sua quidem ætate euanuerat, sed a multis sapientiæ pars credebatur, loqui barbare, & πραγμάτων potius χρηματισῶς sequi, versare libros ad rem faciendam ducentes, quam primos liberalium artium scriptores. Etiam tum passim pro inæstimabili Stagyritæ displicina, aut sanctorum doctrina patrum, tenebricosæ scholasticorum argutiæ; pro Scaeuolis & Iustiniano, Bartoli ac Baldi; pro diuino sene Hippocrate, aut pro Galeni disertissimis operibus, Auerrois & Auicennæ voces in auribus auditorum, e magistrorum faucibus personabant.

*Sturm.
in Epist.
acad. ad
Jonam
Bitner.*

Ab huiuscemodi vel sordibus vel erroribus purgauerat vir summus Argentoratum suum, ratione omni doctrinæ ad veterum exemplum composita, & inductis optimis priscae sapientiæ auctoribus: vt nihil aut publice aut priuatim traderetur vel audiretur, quod non egregium in ecclesia, in curia ac foro, totaque humana vita polliceretur



vlum. Hæc erat displicinæ illa grauitas, quæ eloquentiæ
haud fucata sociata, famam Argentoratensis Lycei exten-
debat, quæque scholas, gymnasia, academias omnes, si in-
stituto pari vtantur, vetabit vnquam extinguui.

Ceterum vt sua humanis quibusque rebus fata sunt, vt-
que cum tempore genii simul populorum miris modis va-
riantur: sic in studiis tum eloquentiæ tum scientiarum,
non in inorem obseruare licet diuersitatem. Impense ini-
tio nouum illud, sed per vestigia veterum institutum iter,
academicæ iuuentuti placebat, vt dici nequeat, quanto ani-
morum ardore producti e latebris optimi scriptores,
quanta sollertia volutati, perq; emendationes criticorum,
& doctissimos commentarios publico vsui aptati fuerint.
Deserebantur pedetentim barbarorum scholæ homi-
num; atque ad recitationes eruditorum, quos isti per
contemptum *grammaticos* appellabant, tanto concursu ru-
ebatur, vt grauissimæ inde contentiones inter doctores v-
triusque sectæ orirentur, primisque litterarum per Itali-
am & alias Europæ partes, instauratoribus, non magis
cum barbarie, quam cum pertinacissimis eius assertoribus,
cumque inuidia ac liuore colluctandum esset. Tantæ
scilicet molis erat, homines iam adultos, quique a tene-
ris adlueuerant male discere, & peius adhuc docere, per-
ducere ad mentem saniolem, vel compescere saltem, ne
obturbarent honestissima instituta, & alios retraherent ac
detererent, si ipsi facere paria vel nollent per socordiam,
vel per ætatem haud valerent.

Sicut igitur magis magisque effulgente litterarum
luce

luce non temere quisquam se studiis addicebat, quin re-
cens reiectam ac regiam hanc viam ingrederetur; nec vi-
ri docti modo, sed *eruditi* quoque, id est, humaniore lit-
teratura & elegantia exculti, laudem quæreret: ita ob-
seruamus, admirabili consensu ac fato ex tota antiquita-
te Ciceronem & Aristotelem præ ceteris delectos, ad quo-
rum facundiam ac sapientiam vnice omnes adspirarent.
Ac licet subinde inuenirentur, tum principis Romani elo-
quii, tum Stagyrity obtrectatores; in quibus supra ce-
tera famosum, sed iuxta infelix fuit Petri Rami nomen:
semper tamen pro duumiris hisce maxima ingenia ste-
tere, tanto animorum aestu, tantaque stili acerbitate,
ac si totius Europæ salutem tuerentur.

Vterque igitur gradum dignitatis suæ, quāquam
diuerso successu obtinere. Iphis autem illorum sectatori-
bus initio & genus dicendi candidum ac simplex, nec dis-
similis philosophandi ratio placebat; procul habita omni
ostentatione doctrinæ vel ingenii, cunctisque ad captum
rudioris ætatis ac publicam vtilitatem compositis. In Ger-
mania cum primis superiorum temporum scriptores, qui
aliquod in litteris nomen meruerunt, nihil prius aut an-
tiquius habuisse visi sunt, quam vt vbique lectores suos
pellicerent ad amorem diuini numinis ac boni moris,
nec tam eruditos, quam meliores potius efficerent. Testa-
buntur hoc clarissimorum virorum, nullique æuo tacen-
dorum, Philippi Melanchtonis, Ioachimi Camerarii, Io-
annis Sturmii, & aliorum egregia monumenta: quæ li-
cet non semper excitent admirationem legentis, sine præ-



ceptis tamen grauiſſimis, & fruge Cleanthæa abire nemi-
nem patiuntur.

Reſpondebant orationi ac doctrinæ haud minus
& mores ſcribentium; vel ex hiſce potius fluebat candida
illa & ſimplex loquendi & commentandi ratio. Cita-
re ad teſtimonium poſſum Ioachimum Camerarium,
modo laudatum, cui viuo *magni* cognomentum erudito-
rum conſenſus dedit. Is in narratione de Helio Eobano
Heſſo, de genio temporum, quæ iuuenis ipſe exegerat,
differens, *Fuit tum, inquit, mos proſeſto optimus & huma-
niſſimus, & huic, quo nunc viuimus, diſſimillimus; candor
eximius in tribuendo cuique quod illi deberetur: ſumma reue-
rentia eorum, qui virtute & doctrina præſtare crederentur:
mira facilitas ad reconciliationem gratiæ, ſi quid forte ſimulta-
tum incidisset: in conſuetudinis & familiaritatis uſu ni-
hil ſucatum aut exulceratum: diſcendi quod ignoraretur, in-
flammati ſtudio animi, & nullus in conſitendo pudor, nullum
perſequendi occaſiones tedium, neque ſtadium audiendi: in-
primis autem parata bene meritis grati animi memoria.*

Sed iam Camerarii ætate, vt ipſe indignatur, labes
inferri cœperat candori, fidei & ſimplicitati Germano-
rum, viresque indies maiores malum ſumebat, vt tan-
dem mores animi ſermo quoque & ſtudiorum modus ſe-
queretur, ſuperuacuum ornatum, ſplendorem, oſten-
tationem & luxum plerisque, non ſolidum vitæ uſum
ſpectantibus. Hoc tamen minime diſſimulandum eſt,
ſumma eruditorum per Germaniam, ac reliquam Euro-
pam, industria, acerrimaque illa æmulatione, & naſcen-
tibus

tibus inde contentionibus, ad tantum culmen perducta esse cum facundiæ Romanæ, tum omnis generis doctrinæ studia, vt vix dari locus videatur, quo vltius pro humanarum quidem virium mensura, procedant. Inde nostris temporibus idem studiorum deprehendimus factum, quod olim poeseos, & vniuersi sermonis Romani fuit. Quum enim exspirante Quiritium libertate, & mox sub Augusto Cæsare, *ipsæ dicendi leges exhaustæ, omnes excussæ veneres essent*, vt nihil haberet inferior ætas, quod sollertiæ maiorum adiungeret: *coacta tandem fuit*, vt Scaliger ait in Hypercritico, *noŭe eadem dicere, ne idem dicere videretur*. Scilicet plenum voluptatis est, obseruante in Politicis Aristotele, propria quædam habere bona, neque permitti cuiuis, par sibi in illa ius nobiscum arrogare. Ex hoc amore proprietatis prodiit nouandi studium, honesta plerumque specie sese commendans, verum haud raro fœdus animi abortus, ac multo fœdissimorum abortuum mater. Solent enim mentes capaciores, & igne quodam volucres, ægre acquiescere inuentis, sed quo magis pollent acumine, quo maiore agitantur motu, semper adhuc vltra tendunt. Hinc vbi vident occupata omnia, neque superesse in explicandis veterum placitis, ostentandi ingenii locum, saltem nouam iis formam concinnant, vt suo & legentium occurrant fastidio. Atque hæc tolerari quidem possunt, quin laudem interdum merentur, si prudenter & cum reuerentia vetustatis fiant, neque peruertant sanam doctrinam, sed plus potius illecebrarum addant. Sicut neutiquam penitus
damnan-

damnandi ac reiiciendi sunt, qui post Augustum sub
Tiberio, Claudio, Nerone eloquentiam excoluere: quum
non tam corruerint illam ac deprauauerint, quam di-
cendi potius mutauerint genus. Sane haud dubitamus
cum Politiano virtutes in his aliquas agnoscere, quas
frustra in prioribus quaesueris. *Major certe cultus in ris,*
crebrior voluptas, multæ sententiæ, multi flores, nulli sensus
tardi, nulla iners structura, omninoque si non sani, fortes tamen
omnes, & leti & alacres, & pleni sanguinis atque coloris. Sed
vtrunque hæc ita sese habent: per illam tamen nouita-
tem paullatim descitum est ad *dulcia vitia*, iam in Seneca a
Quintiliano vere notata; ac tam longe tandem a sobria il-
la, verecunda ac prudenti antiquorum facundia recessum,
vt nihil nisi corruptum, nisi nimio acumine fractum, fri-
gidum, ac plenum ineptiarum, probaretur. Par autem
omnino labes studia nostræ ætatis infecit: postquam
non relicta modo vestigia, veteribus pressa, sed insuper
noua procreari sapientia cœpit, tanto contemptu prisco-
rum sapientum, tanta ad imperitos iactantia, ac si nihil
omnino illi vidissent, vt necesse sit, errare omnes, quotquot
sequi cœcos eiusmodi duces, & inuentis frugibus vesci
adhuc glande velit.

Innouandi initium factum in naturalium rerum
displicina: a qua pedem mox protulerunt ad doctrinam
morum in priuata ac publica vita. Famosiora sunt du-
cum in vtroque genere nomina, quam vt in memoriam
hic debeant reuocari. Quanto illi fastu adspernati fue-
rint adorandam antiquitatem; quam vix vnus aut al-
terius

v. Polit.
præfat.
in Quin-
til. Inst.
orat.

terius libri præsidio nixi, opus susceperint, quam maxime inuidiosum, vt nempe omnis æui ingenia redigere in ordinem, solique saniora docere alios auderent; nihil necesse est fufius commemorare. Vtinam non totam pietatis honestatisque rationem postremo euerfum irent. Plurimum equidem detrimenti olim dedere publico effrenes illæ in Italia de immortalitate animæ disceptationes: quod hac negata non posset non & iustitia diuina, & cum ea ipsius existentia numinis tolli. At multo perniciosior hodiernorum mechanicorum secta est. Quæ quoniam phœnomenum omnium, etiam intricatissimorum & summo artificio constantium, solidas reddi posse causas contendit; quoniam scrutatur Dei naturam, ultra quam fas est piis mentibus; quid aliud facit, quam vt latum iter pandat atheismo, & opiniones inducat, gentiliū superstitionibus longe deteriores. Hisce etiam fulti, quando ad moralium rerum & ciuiliū tractationem accedunt, procidunt dogmata, hominibus quidem atheis mirifice accepta, sed quibus incautior ætas ad pessima impelli potest.

Enimvero sicut iure suo elapsa proxime, & superiora tempora, nomen sibi ab *eruditione* inuenerunt: ita præsens ætas ingenio potissimum præoptat censerī: vt non errauerit, qui sæculo nostro nomen *ingeniosi* dederit, sed *audacissime ingeniosi*. Quo nimirum plurima recte & egregie tradi, haud diffitendum est; sed ex quibus haud pauca antiquitas quoque & perspecta habuit, & litterarum consignata monumentis posteritati reliquit. Et

B iam

iam illa, quæ hodierni sceptici prima putant, quibusque sibi placent vnice, non ignota fuisse antiquitati, haud vno exemplo constat. Nec sine rubore id aliquando fateri coactus fuit princeps mechanicæ sectæ Cartesius, quum ab amicis ei in veterum scriptis ostenderentur sententiæ, quas non secus ac miracula noua stupenti orbi venditauerat. Equidem hoc satis demonstratum a doctissimis viris, multa, in quibus ab antiquorum dogmatibus discedunt, aut contra eos disputant noui hi Solones, nihil plane solidi habere, vt nec raro ab ipsis auctoribus vix dum nata & in publicum prostituta, iugulentur ac tenebris damnentur. In naturalium rerum scientia quam miri subinde foetus diuulgentur, quanta lasciuia quidam pro captu & inscitia sua forment, transforment, fingant refingantque principia nobilissimæ doctrinæ, melius illi intelligunt, quorum proprium munus est, studia hæc accuratius tractare. Vt consideranti mihi præsentis genium sæculi, non alius appareat, quam contemtor veteris æui, ostentator sui, solo vt plurimum ingenii nitens acumine, fingens sibi somnia, & mox puerorum instar, quæ magno apparatu exstruxit, diruens, potens peruertere omnem morum disciplinam, sicut doctrinas ad intellectum pertinentes, labefactauit.

Immortales itaque gratias diuino numini merito agimus, quod academiam nostram ab eiusmodi peste in hunc diem clementissime defendit, nec indulsit tantummodo nobis viros, litteras ac scientias sollerter docentes, sed qui principalium iussorum memores, regia illa &
pri-

priscis calcata via constanter incedunt, eandemque iu-
uentuti, in reipublicæ vsum educandæ, fideliter common-
strant. Magnum hoc & duraturum academiæ decus
est: magnum etiam solatium laborum, non frustra im-
pendi operam, sed subinde occurrere excitatas animas,
quæ fidem atque industriam doctorum exemplo suo te-
stentur; quæ & ipsæ, in virtutis suæ testimonium, sum-
mos in vnoquoque studiorum genere honores tam iuste
accipiant, quam honeste petunt.

Huius rei quum præsentissimum documentum sint
viri ac iuvenes, magnam partem ecclesiasticis aut schola-
sticis muneribus conspicui, partim & liberalium artium
cultu egregia de se pollicentes: ego ne vota ipsorum mo-
rer, quoque felicius totum procedat negotium, te beni-
gnissimum numen ardentè inuoco, adesse velis gratia
tua ineffabili, susceptumque tuis auspiciis negotium ita
clementer regas, vt totum in gloriam sanctissimi tui no-
minis, in emolumentum publicæ rei, in singulorum, &
nunc præcipue, in candidatorum meorum
salutem cedat.



B 2

NO

NOMINA CANDIDATORVM.

165(0)30

Mauritius Weckmannus, *Lengefeldensis Variscus, concionator aulicus & diaconus Graizensis.*

Ioannes Wendlerus, *Modervvizensis Variscus, scholæ antea Slaizensis, tum autem hodieque Gerani gymnasii corrector.*

Ioannes Musæus, *Forsta-Lusatus, gymnasii Berolinensis subcorrector.*

David Henricus Schrönius, *Isnacensis Thuringus, perillustri comiti de Kirchberg a studiis.*

Ioannes Leopoldus, *VVüllerlebiensis Schwarzburgicus, rector scholæ Leutenbergensis.*

Ioannes Nicæus, *Numburgensis, scholæ cathedralis ibidem corrector.*

Ioannes Lauterbachius, *Numburgensis, scholæ Ienensis subcorrector.*

Ioannes Achatius Colerus, *Heilsbronna-Francus.*

Gothofredus Vockerot, *Mulhusa Thuringus.*

Ioannes Balthasar Lauterbachius, *Vlmensis.*

Ioannes Georgius Kochius, *Ratisbonensis.*

Ioannes Christophorus Schöpfius, *Culmbaco-Francus.*

Georgius Basilius Brinckmannus, *VViltershusa-Cheruscus.*

Henricus Conradus Trefurtus, *Benickensteinensis.*

Ioannes Michael Cellarius, *Ilmano-Schwarzburgicus.*

Ioannes Christophorus Hauenschildius, *Langenbachio-Variscus.*

Ioannes Laurentius Samstagus, *Barutho-Francus.*

Ioannes Erhardus Schweglerus, *Regiomontano-Francus.*

ANNO-

ANNOTATA.

¶(1)¶

Nec desperandum penitus de honestis studiis.

Non nuper demum, sed iam superiore ævo doctissimi viri male ominati fuere melioribus studiis. Nec opus heic congerere testimonia. Calvinus præfatione Catechismi ad Frisiam Orientalis ministros: *Nisi mirabiliter Deus e cælo succurrerit, videre mihi videor extremam barbariem impendere orbi. Atque utinam non paullo post sentiant filii nostri, hoc verum potius vaticinium quam coniecturam fuisse.* Legantur etiam quæ in Scioppii Scaligero hypobolimæo habentur pag. 294, & apud Scæuolam Sammarthanum in vita Ioannis Passeratii, libro IV Elogiorum. Plura non addo. Solemur nos potius ad exemplum viri ac poetæ, suo tempore clarissimi, Eobani Hesli, qui in epistolis alicubi: *Sæpe tibi dixi, & credo meminisse te, periclitari posse bonas litteras, perire omnino & intermori non posse. Iaceant quantumvis grauitè, facillime resurgent, ubi defæuierit parumper hæc maligna Nemesis, quæ nullis magis est quam bonis iniqua, in nullos, quam in malos pacatior placatiorque.*

¶(2)¶

Discipline grauitatem & eloquentiæ studium.

Insignis est Ciceronis locus Tusculanarum quæstionum primo. *In quo eo magis nobis est elaborandum, quod multi iam esse Latini libri dicuntur scripti inconsiderate, ab optimis illis quidem viris, sed non satis eruditis. Fieri autem potest, ut recte quis sentiat, & id quod sentit, polite elo-*

B 3

qui

qui non possit. Sed mandare quemquam litteris cogitationes suas, qui eas nec disponere nec illustrare possit, nec deletionem aliqua allicere lectorem, hominis est intemperanter abutentis & otio & litteris. Itaque suos libros ipsi legunt cum suis, nec quisquam attingit, præter eos, qui eandem licentiam scribendi sibi permitti volunt. Verum ne quis existimet solis verborum flosculis rem confici, subiungemus sententiam Tanaquilli Fabri ex libro secundo Epistolarum, epist. LIII. Scribant itaque licet, semperque licebit, queis otium erit, queis iudicium erit, queis stilus erit. Sin ea aberunt a scripturientibus, iudicium dico & stilus, contemtim & spretim agam, uti meque illisque dignum est.

¶ (3) ¶

Aristotelicæ etiam disputationes populo recitabantur.

Aristotelis scripta Tubingæ olim prælecta in concionibus publicis fuisse, ex Melanchthone refert Hottingerus, Smegmatis Orientalis lib. 1, cap. 2. Idem paullo ante ait, Platonem, Aristotelem, Lombardum, Scotum, Bonaventuram, ceterosque Scholasticorum patriarchas adeo vtramque paginam fecisse, ut vix nomen Servatoris Domini professoribus theologiæ excideret. Os eorum, quod euangelio sacrum esse debuisset, Aristotelem tantum & Averroem crepuisse. Præterea in Aristotele tractando, non ipse fons adibatur, crassa tum ignorantia Græcæ linguæ; sed barbarorum interpretum lacunæ, & nugatoriæ Scholasticorum commentationes: ex quibus tam facile erat, veram haurire sapientiam, quam perreptantem stabula bene olere. Averroes Mahumetanus,
a pro-

a profunditate scientiæ nomen sibi, quod lingua Arabum *abyssum sapientiæ* sonat, inuenisse dicitur. *Commentator* κατ' ἐξοχὴν appellatus fuit, ob commentarios suos in opera Aristotelis. Libro *Colliget* dicto, omnem fere medicinam complexus est, tanto acumine, ut *cos ac stimulus medicorum* a quibusdam vocaretur. Floruit sæculo post Christum natum duodecimo, & iunior Auicenna, ut vulgo vocatur, eidemque æmulus & maxime intensus fuit, adeo ut nunquam nominauerit in suis libris. Hunc Auicennam Leonhardus Fuchsius, *Institutionum medicarum* lib. v, sect. i, cap. xi, multis & capitalibus plane erroribus ait refertum; quin carnificem potius, quam medicum esse. Vti eum genere dicendi prodigioso atque horrido, quod Latini sermonis respuat proprietatem, ac licet vel maxime adnitaris, intelligi tamen nequeat. Alii contra Arabum Ciceronem & Galenum vocant, qui Galeno etiam ordine doctrinæ sit potior. Ac iuuenis admodum omnes in vniuersum disciplinas percepisse dicitur. Plura de eo habet Hottingerus, in *Analectis historico-theologicis*, dissert. vi, pag. 294. Nostrum non est, vel de Auerroë, vel de Auicenna decretoriam sententiam ferre. Quantacunque etiam laude digni iudicentur, non debebant tamen scriptoribus longe melioribus anteponi.

De (4) H.

Ciceronem & Aristotelem præ ceteris delectos.

G. Harueii de Aristotele iudicium refert Ioannes Pearson in dedicatione Diogenis Laertii ad Carolum II Britannicam

tannia regem. G. Harueium, egregium sane virum, & incredibili sollertia præditum, sæpius dixisse ferunt, nihil fere unquam in ipsis naturæ penetrabilibus inuenisse se, quin, quum Aristotelem suum pensiculatus euolueret, idem ab illo aut explicatum aut cognitum reperiret. Addantur orationes magni Conringii de Aristotele. Quid in ciuili doctrina præstiterit, contra Machiauellum docetur ab eodem Conringio, cap. 3 Introductionis in Politicam Aristotelis. De Petro Ramo autem ita Adrianus Turnebus, animaduersionibus in Rullianos illius commentarios: *Ille quidem tuæ in Aristotelem & Ciceronem furiosæ declamationes, quibus iam adolescentiæ nostræ aures obsurduerunt, pro Mimis aut Atellanis habentur: nec fere, quod homo stultissime non sentis, audiris, sed spectaris: nec philosopho & eloquenti, ut censes, sed histrioni iuuentus operam se dare dicit. Eos, qui a te redeunt, quid legeris quum rogamus, accusatorem, inquiunt, Aristotelis egit: egit calumniatorem Ciceronis: etiam qui te magistrum nonnullius pretii, non histrionem ineptissimum censent: tamen odio assiduo tuarum in Aristotelem & Ciceronem concionum enecti, cum interrogantur, quibus in rebus lectiones tuæ versentur, nobis Vergilianum illud respondent:*

Et veterem in limo rana cecinere querelam.

Mitius de Ramo iudicium Lipsii videsis centuriæ primæ epistola LXXXIX. Subiicit tamen: *Iuuentus nostra a me hoc audiat. Nunquam ille magnus erit, cui Ramus est magnus.*

Superuacuum ornatum, splendorem, ostentationem & luxum plerisque.

De scriptis theologis superioris æui, quam antecellant multa nostrorum temporum, insigne est incliti theologi, Philippi Jacobi Speneri iudicium, præfatione in homilias Arndianas. Verba ipsa huc transcribam: Man vergleiche unsers theuren Lutheri Schrifften / wo derselbe mit Erklärung Göttlichen Worts umgeheth / oder die Christliche Glaubens- Articul handelt / so dann vieler anderer / zu und gleich nach seiner Zeit gelebter Theologorum noch vor Augen liegende Werke / hingegen einen grossen Theil der heut herauskommenden. Man wird wahrhaftig finden / wann man es redlich heraus bekennen wil / daß so viel geistreiche Krafft / und in höchster Einfalt vorgetragne Weißheit in ienen angetroffen und daraus gefühlet wird / so leer sind fast diese gegen ienen / und findet sich an den neuen etwa ein mehrer Apparat von menschlicher prächtiger Erudition / und verkünsteltes Wesen / ia auch fürwitzige Subtilitäten in Dingen / wo wir nicht über die Schrift weise seyn sollen. Und weiß ich nicht / ob unser seliger Herr Lutherus / wo er wieder auffstehen solte / nicht auch an unsern Academien öftters ein und anders straffen würde / was er mit Eifer zu seiner Zeit den damahligen verweisslichen vorgerückt.

¶ (6) ¶

Atque hæc tolerari quidem possunt.

Vincentius Lirinensis: *Eadem quæ didicisti, ita doce, ut quum dicas noue, non dicas noua.* Nec minus dignum laude, si quid inueneris noui, illud antique dicere. Ut veram hanc proficiendi legem putes, calcatas antiquis sequi vias, & cauere, ne data opera deserere illos videaris. Non enim nouator est, qui profert noua, id est, prioribus ignorata, & iuxta tamen sana ac recta; sed qui veterum sententias & instituta conuellere atque euertere studet; tantum quo maior sua sit auctoritas & scientiæ opinio. Non temere autem mouenda de loco esse priscorum sapientum dogmata, suadet primum enixissimum illorum studium in veri inuestigatione, deinde consensus & adprobatio tot sæculorum; ut magnis præfidiis instructum esse oporteat, qui nouæ prorsus ac melioris sententiæ auctor haberi velit.

¶ (7) ¶

Quanto illi fastus adspernari fuerint adorandam antiquitatem.

Non possum, quin tangam stupendum acumen recentis cuiusdam ex Cartesianæ scholæ scriptoris. Qui & nomen antiquitatis Platoni, Aristoteli, atque omnibus tot ante sæcula progenitis, inuidens, *Sed forte, inquit, ipsa vox antiquitatis præ se fert aliquid admirandum & venerabile.* At certe si in antiquitate aliquod sit præsidium, in nobis erit maximum; nam reuera nos sumus antiquiores, illi sunt recentiores: quodcunque enim subsequitur

quitur in duratione rei alicuius, est antiquius eo, quod præ-
cessit: adeoque illi, quia sunt propiores initio mundi, sunt
recentiores quam nos, qui subsequimur: uti id in quavis
supputatione annorum, per quos res aliqua durasse dicitur,
manifestum est. Nisi velis, inuerso ordine, incipere suppu-
tationem a fine mundi, & desinere in initio. Respondet
deinde obiectioni. Neque est, quod dicas, id quidem ve-
rum esse de mundi partibus semper permanentibus, non vero
de intereuntibus: non enim potes mundum dicere, quin sub
eo comprehendas homines, vel tum existentes, vel successive
futuros, uti id notum ex voce mundi. Sed hoc usu venit
hominibus: quia solent rerum primitatem sensibus metiri, a
sensibus incipiunt, & in intellectu desinunt; quod in sensu
primum est, etiam in re primum esse, & in cognitione distin-
cta existimant.

En genuinum sapientiæ nouæ, & summa ima ver-
tentis specimen! Profecto equidem, si eo præ ingenii
sui amore veniunt isti homines, ut & popularem usum
vocalorum penitus inuertant, & doceant nos contra
consuetudinem totius generis humani loqui, nihil iam
restat, quam ut publice a vulgo etiam digitis demonstren-
tur. Tunc, mi Thales, tam suauiter credulus es, ut quo-
niam mundus progressu temporis magis magisque con-
senescit, te tanquam partem mundi, non posse non pu-
tes antiquiorem aut saltem æquæuum primo humani
generis parenti esse, tamen ille superstes adhuc, te male
acutum nepotem suum, tam pueriles fabulas denarran-
tem, indignabundus audiret. At viuit in memoria littera-

rum ac hominum, & tot sæculorum spatio vixit, quum tu vix hodie aut heri natus sis. Sic tot per sæcula vixit Plato, vixit Aristoteles; viuunt ac vigent, impari licet modo, vtriusque dogmata. Tu vero aut esse omnino, aut mira commenta tua publicare non poteras, antequam cogitares, vel somniares. *Posteriores* igitur te viris tamdiu compositis, non antiquiorem dicere debebas: illos *priores*, non recentiores. Scire debebas, prisca tempora vocari, quæ longe ante nos præterierunt, etsi orbis vix tum esset procreatus: ex aduerso, quo propiora nobis, quæ effluxere, eo recentiora haberi. Ac recentissimum omnium est, quod præsens iam instat & fugit. Idem illud post elapsa aliquot sæcula non recens amplius, sed vetus est appellandum. Eadem hominum ac dogmatum ratio: quæ quando nascuntur, recentia sunt; cum lapsu demum temporis consenescent.

Maiore contra antiquos specie Caramuel pugnatur, a corporibus illorum ac iuniorum argumentum petens. In his quippe ait, quoniam minore corporis mole prematur animus, longe acutiora & subtiliora esse ingenia: vt Thomas, Scotus, Molina, Suarezus & alii, longo post se interuallo Socratem, Platonem, Aristotelem relinquunt. Deinde, ne nihil concedere hisce videatur; ponamus, inquit, priscos recentioribus esse æquales aut superiores ingenio; ast doctrina tamen non vincunt, aut etiam adæquant. Facile enim posterioribus fuit, addere inuentis, postquam munitum iam iter ad edita sapientiæ templa erat. *Nos hodie (sunt verba eius) viris magnis succed-*

succedimus, sumusque conceptuum selectissimorum heredes:
Et dum omnes legimus & audimus, etsi essemus ingenio super-
pares, doctiores dici deberemus. Festiuam rationem ex
Ægidio Romano Theophilus Raynaudus habet: Poste-
riores existentes super humeros priorum, longius vident, quam
priores. Nam si nanus esset super humerum gigantis, longius
videret, quam gigas. Consulatur Sinnichius in Saule exre-
ge, lib. 1, cap. CIX, §. 4II.

Sed contemnat vetera sæculum nostrum, quantum
volet; placeat sibi ipsi, plaudatque mirifice inuentis suis:
nos subscribemus argutæ Iusti Lipsii sententiæ in dedica-
tione Saturnalium: *Vt ille apud comicum, qui utuntur vino*
vetere, sapientes putat; sic nos qui doctrina. Et vere Isaacus
Vossius, in de Poematum cantu, pag. 129, frustra po-
steritatis ait expectare suffragium, qui non satis beni-
gne de maioribus senserit. Caussam si quæras, hanc pos-
sum reddere, ex dedicatione eiusdem libri; *Excitantur*
omnes bibliothecæ, fateamur necesse est, meliora esse ea, quæ
a vetustate nobis relicta sunt monumenta. Quod ampliati
sint sensus, quod ingenii aliquis accesserit cultus, totum hoc
illis debetur: nec alio nomine felicior possit videri hæc no-
stra ætas, quam quia huic docendæ tot priora inuigilarunt sæ-
cula. Quin illis in artibus etiam quæ ad fallenda vi-
tæ tædia & comparandas honestas voluptates faciunt,
multo nos inferiores esse, in eodem libro ostensum iuit.
Quam vera autem sint omnia, quæ ibidem tradit,
nostrum iam non est disquirere. Sufficit in præsentem
auctoritas viri, in antiquis litterarum monumentis ver-

fatissimi, & ingenii magnitudine, varixque eruditionis
laude nulli facile cessuri.

¶(8)¶

Vix unius aut alterius libri presidio.

Illud peculiare sæculi nostri ingenii, ut semet solis
nitantur, neque multum curent alienarum meditatio-
num lectionem. Ne vero id faciant sine honesto præ-
textu, plerosque mortalium sequi dicunt ritu pecorum
aliena, vestigia, & occurrere innumeras ubique repe-
tiones, solo tractandi modo diuersas, ut nihil plane o-
pus sit tam multa lectione. Atque Hobbesius sæpius ia-
ctasse fertur, si tanta diligentia incubuisset libris, quanta
vulgo solet, pari etiam ignorantia se fuisse laboraturum.

¶(9)¶

*Fateri coactus fuit princeps mechanicae sectæ, Car-
tesius.*

In eo peccat nostra ætas, quod cæca ambitione aut da-
mnat erroris, quæ tamen non intelligit, aut pro nouis
venditat, quæ iam olim prisci sapientes docuerant. Vir
diffusæ eruditionis, Georgius Guilielmus Leibnizius,
præfatione in Nizolium de veris principiis philosophan-
di, *Habeo, inquit, ex narratione doctissimorum virorum,
ipsum illum magnum Cartesium non mediocriter confusum
fuisse, quum esset ei monstratum, complura eius philosophe-
mata, quæ nouiter inuenta putabat, in Platone & Aristote-
le, quorum tamen ille contemptum præferebat, tum in natu-
ralibus tum in civilibus clare tradita, contineri. Eodem
loco ostendit, multa alia priscis fuisse cognita, quæ nu-
per*

per demum excogitata existimantur. *Viam lacteam esse
conferiem insensibilium stellarum; Nil incrementa esse a plu-
uiis Æthiopiæ; doctrinam de atomis; hypothesein terre-
ni motus; puluerem sympatheticum; circulationem san-
guinis per totum corpus; Petri Rami dogmata; consilia
illa de vocabulorum technicorum ad popularia reductione.*

• Vt alio exemplo illustrentior, quæ affirmauimus,
subiiciam doctoris quondam mei, Hermanni Con-
ringii, viri æternum in fama rerum mansuri, iudicium
de famoso Anglicano philosopho, Thoma Hobbesio.
*Anglus Hobbes libro Elementorum philosophicorum de Ciue
edita, non dubitauit hisce verbis gloriari: Physica res no-
uita est. Sed philosophia ciuilis multo adhuc magis, ut
quæ antiquior non sit libro quem de ciue ipse scripsi. In-
sano profecto fastu. Perinde atque stultum illud est de na-
turali philosophia: huius partem priorem aperuisse Galile-
um, humani corporis scientiam detexisse primum Haruæum,
libris de Motu sanguinis, & Generatione animalium: ante
hos nihil certi in physica fuisse, præter experimenta cuique
sua & historias naturales: de Astronomia item, eius ini-
tium referendum in Copernicum. Satis autem apertum est, in
illis quidem de Ciue Elementis, nihil esse boni, quod non ab
omni retro memoria fuerit notum. Ne quidem illud autem
potuisset superesse, si præ iudicii defectu vidisset Hobbes,
quam multum alia deduci debeant ex illo horribili principio:
natura inter homines non societatem, sed discordiam insti-
tutam esse. Et vero illo posito, omnis societas humana con-
tra naturam fuerit institutum. Quo asserto nescio num quid*

exco-

excogitari possit absurdum magis, aut improbum. Sed relin-
quamus hominem illum insanienti suae sapientiae. Hæc
Conringius extremo libri de civili prudentia Haud ignoro
excultoribus Hobbesii esse, qui principium illud benignis-
sima interpretatione a censura grauiore vindicatum eant,
sed successu parum prospero. Qua de re alibi for-
sitan disputandi erit locus.



ULB Halle

3


004 758 625



Sb

VJ 17







B.I.G.

Farbkarte #13

15

1686, 31
20

I. PHILIPPI
SLEVOGTII
DE
GENIO STUDIORVM
NOSTRI TEMPORIS

9532

Dissertatio

Ad illustrem atque excellentissimum Virum

IO. IACOBVM AVIANVM

incliti nominis iureconsultum

LOCO PROPEMPTICI MISSA.



IENAE MDC LXXXVI.

LITTERIS MISIANIS.

